III. *Obſervatio cujuſdam Meteori igniti inſtar Chaſmatis, facta Hagae-Comit. d.* 21 Decembr. 1758. *Nov. St. à* Petro Gabry, *I. V. D. Socio Reg. Societat. Scientiar.* Londin. *et Commercio Literarum cum Acad. Reg. Scientiar. Pariſienſ. et Societ. Reg. Scient.* Gottingenſ. *juncto. Communicated by Mr.* Emanuel Mendez da Coſta, *Librarian of the R. S.*

Read Jan. 13, 1763.

HORA octava veſpertina, lumen inſigne, ſive meteoron ignitum inſtar chaſmatis, à me conſpiciebatur in cœli plaga ferè occidentali, quum cœlum eo tempore eſſet nebuloſum, perobſcurum et tranquillum, zephyro leniter ſpirante. Aër hoc tempore erat caloris ferè temperati, nam thermometrum mercuriale ſub dio denotabat grad. 47. Interdum plaga cœli occidua ardere videbatur, et aër una cum inferioribus nebulis in flammas fumoſque mutatus. Ipſo momento contigit etiam, ut ex ipſa plaga effulgentes flammæ aliquando ad zenith ferè uſque aſcenderent, et ſpeciem radiorum ejaculantium efformarent uſque circa cœli verticem.

Paulò poſt fulgor apparebat candens et ſatis notabilis, repræſentans ignem quaſi continuum inſtar maſſæ igneæ: ſub initium fulgor tenuis debiliſque erat, mox vero auctus, à plaga aquilonari ad occidentalem ultra extendebatur, haud abſimilis lumini in horizonte comparenti proxime ante ſolis ortum. Paulò poſt

fulgor rutilum ducebat colorem, ita ut ego, et alii mecum, incendium in vicinia extra urbem coortum arbitraremur; ſed aliter edocebamur, cum fulgor ſenſim altius ſupra horizontem eveheretur, tantum emittens lumen, ut circumjectas ædes colluſtraret.

Ex ipſa maſſa ignea flammæ tam rapido emittebantur motu, ut duorum triumve ſecundorum ſpatio ab horizonte ſenſibili ad zenith ferè eveherentur, paululum autem ad ſeptentrionem vergentes. Dictam maſſam evaneſcentem excipiebat altera, flammas itidem ejaculans. Quædam flammæ aſcendere videbantur, altius tamen quam in vulgaribus incendiis evolabant; quippe quæ ferè ad zenith uſque tendebant, aliæ ab horizonte ſenſibili ortæ rutuli erant coloris, ferri inſtar igniti.

Hujus meteori figura valde mutabilis erat, ita ut nec certam deſcriptionem neque minus ejus delineationem dare poſſim; licet hoc ſpectaculum pariter jucundum et quodam modo viſu horrendum eſſet.

Hîc notatu dignum mihi eſſe videbatur, quod ejuſmodi meteoron, tempeſtate regelata, nebuloſa, et, quod magis eſt, pluvioſa, tanta nitebat luce, ut non lunæ, ſed illam potius imitaretur lucem, quæ ſolem tempore æſtivo orientem præcedere ſolet. Fluctuum quoque inſtar marinorum aut ſegetis ſpicatæ in agro undulantis, vento acrius ſpirante, agitabatur. Micatio præterea continua cernebatur, qualis interdum tempore æſtivo veſperi vel noctu è nubibus promicare cernitur, et apud nos vulgo *Zee-vlammen* appellantur.

Hora autem octava cum dimidia meteoron hoc evanuerat, ita ut ne minimum ejus veſtigium amplius à me conſpiceretur.